



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De emunitate Ecclesiae. cxcj.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

beat. Si verò seruus pro culpa sua ab Ecclesia defensus sacramenta domini clericis exigētibus de impunitate perciperit, exire nolentem à domino liceat occupari.

De eadem re.

Cap. CXCI.

*Ex eodē,
cap. 5.*

Similiter in Matiscensi synodo decretum est, vt hi qui fugiunt suos inimicos, aut in ecclesiam, aut in atrium Ecclesie, aut in domum episcopi, aut in claustrum regularium, non inde abstrahantur, nisi prius super sacra accepta securitate à persecutoribus de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere, sint securi: etiam si serui sint illorum, qui eos insequuntur, ita vt ei cui rei criminosi fuerint de satisfactione cōueniāt. Quod si is qui super sacra iurauerat, post conuictus fuerit iuramentum violasse, & periurii communionem priuetur, quousque satisfaciat.

De eadem re.

Cap. CXCI.

*Ex cōcil.
apud The
odonis vil
lā, ca. 11.*

REV M confugientem ad Ecclesiam, seu in atrium Ecclesie, aut in officinas regularium fratrum, vel curiam aut in domum episcopi, quia hæc in antiquis canonicis pro emunitate tenentur, nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam, vel ad mortem, vt honor Dei, & sanctorum eius præ omnibus conseruetur, sed protectores ecclesiarum pacem & vitam, ac membra ei cum iuramento obtinere studeant: sed tamē legitimè componat quicquid iniquè fecerat: & si insequitor magistris ecclesie obedire noluerit, canonicè constringatur.

De eadem re.

Cap. CXCV.

*Ex cōcil.
Arausi-
co, cap. 5.*

EOS qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non debent, sed loci reuerentia, & intercessione defendi. Si autem mancipia clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugiētibus crediderit occupanda, per omnes ecclesias districtissima damnatione feriatur.

De emunitate Ecclesie.

Cap. CXCVI.

*Ex cōcil.
Triburi.
cap. 30.*

SI quis in atrio Ecclesie pugnam committit, aut homicidium facit, quicquid pro emunitate violata ei inueniendum est, altario soluatur, cuiuscunque fuerit Ecclesia.